

QVÆSTIO THEOLOGICA,

AN LIBERTAS CHRISTIANA LIBERET

fideles ab omni lege.

34

THESES DE LEGIBVS.



LAMET SI lex varias habeat significationes, in uniuersum tamen considerata, est quoddam statutum, ad cuius stabilem obserua-

- tionem legislator reipub: uult obligare, quid faciendum quidq; uitandum sit, illi præscribens.
- II. Hac autem, ut recta sit, legisq; merito nomen obtineat, quatuor postulat. Primum ut propter bonum commune feratur: deinde ut sit ab eo condita, qui ad id legitimam habet potestatem: tum ne contineat aliquid impossibile aut iniquum: postremo ut sit tempori locoq; accommodata.
- III. Quod si aliquo ex his destituta fuerit, ut quocq; constringendi destitueretur. Non tamen unicuique pro arbitratu legem reprehendere licet, ut ab eius obedientia se subtrahat, quin imò dum ipsius iniquitas non satis constat, pro iusta habenda est. Subditi enim non iudices legis sed factores à Deo sunt constituti.
- IIII. Bonum commune id uoco quod non ad priuatum commodum, sed ad totam rempu: spectat, etiam si alicui nocumentum afferat.
- V. Primum ac summum Legislatorem Deum opt: Max: esse fateamur, qui est rex regum & Dominus dominantium.
- VI. Ceterum cum Dei perfecta & ordinata sint opera & hic hominibus sue rei pu: regimen commiserit, eisdem potestatem condendi leges est impertitus, sine quibus nullum regimen consistere ualet.
- VII. Vnde omnis recta potestas ab ipso deriuata ac de super concessa est, per quem reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.
- VIII. Possit quidem Deus se ipso absq; ulla hominum ministerio humanum genus rectissime gubernare, noluit tamen, nec de cui ob suauem rerum dispositionem.
- IX. Hec uero potestas à Deo concessa bipartita est: Altera enim est spiritualis seu Ecclesiastica, quæ ad regimen spiritale, altera civilis seu Laica, quæ ad regimen temporale dirigitur.
- X. Illam toti Ecclesie ac summo eiusdem Hierarchie, deinde suo ordine reliquis Ecclesie proceribus immediate contulit, hanc uero primò ipsis populis ac per hos ipsi Dominis temporalibus.
- XI. Voluitq; hunc potestatum ordinem, quo nihil pulchrius, adeò inuiolatum permanere, ut potestas inferior contra superiorem nihil firmiter statuere ualeat.
- XII. At cum rectitudo legis à probitate legislatoris minimè pendeat, sit, ut ab eiusdem prauitate, si cetera requisita adsint, nullum uitium contrahat. Dum enim in cathedra Moysis legitime sedet, siue Moyses sit siue scriba aut Phariseus, ueras leges sancire potest.
- XIII. Ad hæc, ut lex omnibus numeris absoluaatur, promulgatione indiget, sine qua nullum effectum consequeretur. Quæ propter institui dicitur, cum promulgatur.
- XIII. Ea q; facta nullus ab eius obseruatione excipitur, nisi qui eius inuincibili ignorantia laboraret.
- XV. Verum hæc promulgatio duobus modis fieri potest, nimirum uerbo & scripto. Ea quæ uerbo facta est absentibus ex traditione constat, nec minorem quàm scripta uigorem habet, siquidem & eam præcedit & scripta in ipsius locum est substituta.
- XVI. Quæ propter cum ex constanti traditione aliquid à nostris maioribus accepimus, pro lege habendum est, etiam si eius institutio scripta non sit.
- XVII. Promulgatione facta nil est quod ultra desiderari queat. Non enim requiritur subditorum consensus, nisi legislator potestatem ad eum modum limitatam habuerit, ut sine ipsorum consensu nil noui decernere queat, qualem aliqui Domini temporales habent.
- XVIII. Quin potius legem statuens renitentes compellere potest, & eos debita pœna multare, eò quod Dei ordinationi resistunt.
- XVIII. Vnde si subditi ui promulgationem legis impediunt præterquam quòd lethale crimen committunt & damno inde consecuturo sunt obnoxij, nõ ideò à legis obseruatione liberantur illi qui legem optime norunt.
- XX. Via nihilominus supplicationis promulgationi legis se opponere unicuique liberum est.
- XXI. Lex non una eademq; est, multiplici enim subest diuisioni. Alia quippe diuina est, quæ à Deo est immediate instituta, Alia ab eo deriuata, quæ humana dici solet, quæ potestate à Deo concessa ab hominibus condita est.
- XXII. Diuina, alia eterna, quæ nihil aliud est, quàm summa ratio seu dictamen in Deo existens, ordinem naturalem seruari iubens, turbari uetans.
- XXIII. Huius participatio lex naturalis nominatur, estq; recta hominis inclinatio eidem à natura insita, qua malum fugere, bonum prosequi docetur.
- XXIII. Neutri harum aliqua externa promulgatione opus est, siquidem eterna per naturalem innotescit, naturalis uero lumine uultus Domini, quod super nos signatum est, unicuique satis est manifesta.
- XXV. Vtraq; eadem est apud omnes, nec alicui mutationi subijcitur, eiusq; obseruatio omni tempore homini necessaria existit.
- XXVI. Alia est lex diuina positua, & hæc est statutum diuinum non à natura institutum, sed diuina reuelatione acceptum, cui nil addere uel adimere licitum est.
- XXVII. Hæc omni homini ab initio imposita fuit licet non semper fuerit omnino eadem. Lex enim fidei & charitatis Adæ præscripta fuit, & in super ne de ligno quod erat in medio Paradisi comederet, ob cuius transgressionem in statu lapsus est.
- XXVIII. Cum enim homo ad finem supernaturalem fuerit destinatus, decuit ut aliquid supra naturæ uires præstaret, si supra naturam ascendere uellet.
- XXVIII. Hæc autem Lex, cuius præcipua pars nunc scripturis continetur, altera uetus, altera noua dicitur. Vetus illa est, quæ olim cum plenitudo temporis appropinquaret, ueluti quedam ad nouam legem introductio per angelos & Prophetas soli populo Israëlitico tradita est.
- XXX. Post hanc cum uenit plenitudo temporis uerbum Dei caro factum ac natum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, Euangelicam ac nouam nobis tradidit, ueteremq; adimplens ab ipsius iugo nos liberauit.
- XXXI. Eiusq; morte translato Leuitico sacerdotio temporario in eternum secundum ordinem Melchisedech, necesse fuit ut legis translatio ac mutatio fieret.
- XXXII. Non propterea quòd uetus mala esset, sed quia Christi aduentum præfigurabat eò usq; duratura, ut mortalium animos ad Christum suscipiendum præpararet.
- XXXIII. Verum lex Euangelica quæ omnibus obseruanda, est in eternum duratura, partim scriptis, partim uiuis institutionibus continetur.
- XXXIII. At cum multa sint reipu: Christianæ commoda & necessaria, sine quibus humana societas (qua in hac uita carere non possumus) aut non omnino aut minus commodè geritur, super quibus lex diuina speciatim nihil disponit, aliq; sunt ab eadem sine temporis ac aliarum circumstantiarum designatione instituta, ideo præter hanc alia sunt necessaria, quæ humana dici solet, ab eadem deriuata, illiq; ut fundamentum firmissimo innitens quæ idcirco diuina ac sacratissima dici potest.
- XXXV. Hæc est duplex ex duplici potestate & fine ortum habens. Alia ecclesiastica à Deo nempe per Ecclesiam: alia civilis ab eodem per secularem potestatem sancita.
- XXXVI. Ecclesiastica uero in uniuersalem & particularem rectè distribuitur, illa est, quæ à concilio uniuersali, non acephalo toti fidelium cæui præscribitur, hæc autem quæ à concilio prouinciali seu nationali uel ab aliquo inferiore Pontifice pro grege sibi commisso decernitur.
- XXXVII. Quòd ad harum rectitudinem attinet lex Ecclesiastica Catholica à particulari & ciuili eo differt, quòd iniusta esse nequit, cum ab eis proficiscatur, quibus assistentia spiritus sancti promissa est.
- XXXVIII. Vnde si lex ciuilis à rectitudine destiterit, ab ecclesiastica uniuersali corrigenda uenit, quocirca si alicubi discrepant, huic standum est.
- XXXIX. Est & alia legum humanarum diuersitas, alia etenim pœnam tantum aliquam temporariam decernunt, ut melius obseruentur ea quæ aliàs ex lege diuina obseruari debuissem, ut quos uirtutis amor & pœna eterna à malo non retrahunt, saltem præfens retardet incommodum, de quibus haud aliter quàm de diuinis censendum est, exemplo sunt leges quas contra fures & adulteros Cæsares tulerunt.
- XL. Sunt & alia quæ partim diuina, partim humana non iniuria dici possunt, quæ quo ad substantiam operis, à Deo sunt, temporis uero & aliarum circumstantiarum determinationem ab Ecclesia receperunt, ut ieiunium Quadragesimæ, annua confessio & similes. Hæc etiam nemine Catholicorum renuente eodem modo sicut diuina obligant.
- XLI. Aliæ deniq; sunt merè humanae, potestate nihilominus ab ipso summo Legislatore concessa, instituta, prout regimini populi, loci & temporis consideratione habita, expedire uisum est, quibus id præcipitur aut prohibetur, quòd aliàs facere liberum esset, hæc etiam id cum reliquis commune habent, ut cum uita spiritualis discrimine ualeant obligare.
- XLII. Quo sit, ut omnibus his humanis legibus quilibet fidelium, non solum propter tram, sed etiam propter conscientiam obedire teneatur, Quia contra Deum peccat, qui ordinem à Deo positum impiè transgreditur, ipsumq; in suis ministris spernit.
- XLIII. Porro culpa præuentionis pro ratione materiae, de qua agitur, maior aut minor erit, si enim res est magni momenti, ex qua magnum aliquod commodum uel incommodum reipu: posset euenire, lethalis culpa committitur, leuis autem, si res leuior fuerit, uel si in re graui leuiter excedatur.
- XLIII. Rei autem grauitas ex adiunctæ pœnæ grauitate sepe intelligitur. Pœna enim capitis aut anathematis, & similes, non nisi pro culpa mortali iuste infliguntur.
- XLV. Estq; adeo arctum humanarum legum uinculum, præsertim Ecclesiasticarum, ut obligent aliquando sub uita corporalis dispendio.
- XLVI. Quòd ita esse arbitramur, quotiescunq; maius bonum est legem seruare quàm uitam, ut accidere solet, cum quis in contemptum Dei per legis uiolationem inducitur, uel cum fides, respu: aut exercitus periclitatur.
- XLVII. Nec eo aliquis ab obedientia legis sit immunis, quòd in eo ratio legis cessare uideatur, quamuis ubi legis interpretatio in subitico periculo ab eius latore haberi non posset, liceret præter uerba legis ære, maxime si alicuius docti simul ac pii consensus accederet.
- XLVIII. Quòd de legibus hactenus diximus, idem de consuetudinibus quæ uim legum obtinent, dictum uolumus.
- XLVIII. Ad hæc quemadmodum leges humanae per homines edite sunt, per eosdem etiã, quando res ita postulat, reuocari possunt. Ridiculu tamen esset & satis abominabile dèdecus, ut traditiones, quas à patribus accepimus, ob leuem causam mutarenur.
- LI. Tunc autem recta est legis aut consuetudinis abrogatio, cum ex ea plus utilitatis, quàm detrimenti reipu: futurum esse non dubitatur.
- LII. Ex prædictis luce clarius colligitur quemlibet Christianum siue iustum, siue iniquum, lege diuina, eterna, naturali & Euangelica, ecclesiastica atq; ciuili, Deo sic disponente, ligatum esse, tantum abest, ut ab omni lege per eum sit liberatus.
- LII. Per Christum enim seruatore nostrum à iugo ueteris legis & Demonis seruitute redempti sumus, non ut turbulenter & sine ordine uiuamus, sed ut de manu inimicorum nostrorum liberati (ut in Euangelio docemur) in sanctitate & iustitia seruiamus illi.
- LIII. Nec propterea libertati Christianæ in aliquo derogatur, quæ eam seruitutem excludit, quæ quis peccati iugo subijcitur, i qua tanto quis liberior est quanto pluribus uinculis cū Deo coniungitur, quibus contraria demonum uincula dirimuntur.
- LIII. Nihilominus tamen fateamur iugum Christi esse suauem ac onus eius leue, cum ad id subeundum & lex rationis incinet, & Deus supernaturali abundè concurrat auxilio;

Definet M. Al. Pinedanus Gutterrius in Schola Theologica, PT, side D. Alphonso Pisano. Sabb. Hora 7.

Impressum Ingolstadtij, per Alexandrum & Samuelem Vveiffenhornios.

